Nota pro deprehensione et captione legitima ac iuridica
hereticorum tria hec dicta sequentia, esse recte certiora.
Primum quod aliud est simulare, aliud est mentiri. Hec secundum
magna licet. Primum vero licitum et sanctum: demonstratur etiam ~
evidentibus scripture testimoniis. Dicitur enim Christus Luce
xxiiii^to finxisse se longius ire: et in habitu peregrini sibi loquen//
tibus discipulis tamquam non esset Christus ille passus, de quo
peregrini loquebantur dicendo. Nonne audivisti que facta sunt
in hierusalem? Tu solus peregrinus es in hierusalem et hec
ignoras. Respondit tamquam non esset Christus, dicendo. ~
Que. Neque cognoverunt eum nisi in fine diei in fractione
panis. Item thobie quinto, xii° et xiii° habetur quod thobias ~
existimabat angelum qui eum comitabatur esse hominem ex filiis
Israel. Cum angelo loquens thobias dixit. Unde es tu iuvenis.
Et ille respondit. Ego sum ex filiis Israel. Et post aliquot
sermones dixit thobias. Dic michi. Ex quo genere et ex qua
tribu tu es. Ille vero respondit. Ego sum Azarias Anania
magni filius. Et c° xii° postquam angelus seipsum detexit,
et notificavit se esse angelum. dixit eidem thobie. Ego ~
videbar vobis cibo visibili vesci: ego autem cibo invisibili utor.
Insuper Jacob dixit patri suo Isaac benedictionem ab eo accipiendo.
Ego sum Esau primogenitus tuus. Et pro illo textu genesis.
ubi Isaac dicebat Esau filio suo. Venit frater tuus fraudu//
lenter. Textus litteralis interceptum habet (si bene memini) Venit
frater tuus prudenter. Licet enim non esset Esau in persona:
tamen eum representabat in officio. Et tali modo loquendi dicitur
Christus Iudeis in evangelio. Et si vos vultis recipere Helias
iam venit. Non quidem in persona, sed in officio representandi
acta eius. Sicut etiam Christus in scriptura veteri vocatur
Salomon et David: quia representabatur in David et Salomone.
Preterea manifesta est simulatio Joseph erga fratres suos cum
dixit eis. Vos exploratores estis: et quod posuit ciphum in sacco: